Disputationis de Iliadis *B*, 1—483

pars altera.

Quod disputatione de Iliadis *B* 1—483 Gerae anno 1864 edita[1]) demonstrare conatus sum, non recte videri iudicasse Arminium Koechlyum, cum duo carmina hac priore secundi Iliadis libri parte a Pisistrateis contaminata esse contenderet, id tum, ne fines libello scholastico constitutos egrederer, ita tantum poteram demonstrare, ut quantis laborarent difficultatibus ipsa illa carmina, quae restituisse Koechlyus sibi visus esset, exponerem, differenda in aliud tempus erat altera pars disputationis, qua de uno eo carmine, quod contineri his versibus statuit Lachmannus, nimis severe iudicasse virum doctissimum carmenque illud, quale nunc exstaret, tale fere ab initio fuisse ostenderem. Ad quam disputationis partem cum iam oblata rursus occasione scribendi accedo, non me fugit, rem me suscepisse difficiliorem aliquanto, quam de qua tunc egerim. Nam quae motae sunt a Koechlyo de Lachmanni carmine dubitationes, eas tantum abest ut nullius momenti esse dicam, ut ipse, cum primum eius disputationem legerem[2]), non potuerim non ei assentiri ac tum demum

---

1) Zur Frage über die Zusammensetzung von Ilias *B* 1—483. Legitur ea disputatio in libello, quo ad celebranda gymnasii, quod Gerae floret, solemnia quotannis mense Iulio ab illius gymnasii magistris invitari solet.

2) Bis de his versibus egit vir doctissimus, primum in conventu philologorum Germanicorum Darmstadii anno 1845 habito (cf. Verhandlungen der 8 Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, Darmstadt 1846, p. 73—77), iterum in disputatione de Iliadis *B*, 1—483, anno 1850 Turici edita. Ipsa denique carmina, qualia eruisse sibi visus est, — *Ὄνειρος* et *Ἀγορά* — adumbrata invenies in Iliadis carminibus XVI ab eodem Lipsiae anno 1861 editis, p. 45—50.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coeperim diffidere huic meo iudicio, cum quae in locum unius Lachmanni carminis substituit duo carmina vir doctissimus, ea et ipsa dubitandi largam praebere materiam animadvertissem[3]).

Quae cum ita essent, aut aliam intellegebam circumspiciendam esse rationem, qua tollerentur difficultates, quibus hi versus laborarent, aut videndum, possetne etiam ea, quae fuit Lachmanni de hac Iliadis parte sententia, defendi. Atque iterum iterumque relegens hos versus intellegere mihi visus sum, speciosissima quidem esse argumenta contra illum a Koechlyo prolata neque tamen eam esse illorum vim, ut id, quod statuisset, concedere nos necesse esset, immo carmen hic nos habere unum idque tale, in quo inessent nonnulla, quae vituperari fortasse possent, nihil, quo de duobus poetis, e quorum carminibus hi versus contaminati essent, cogitare cogeremur. Quod utrum iure ego ita statuerim, an me quoque sola „traditae opinionis tenacitas"[4]) impediverit, quominus relictis non unitariorum (nam de his quidem plane Koechlyo assentior), sed Lachmanni partibus in Koechlyi partes transirem, alii diiudicent.

Priusquam autem ad refellenda ea, quae contra Lachmannum ille disputavit, aggredior, paucis argumentum horum versuum, quales nobis sunt traditi, enarrandum videtur. Est autem hoc:

Ut quod promisit Thetidi faciat iniuriamque Achilli illatam ulciscatur, somnium ad Agamemnonem mittit Iupiter, quo omnes iam deos Iunonis precibus permotos delere Troiam constituisse certiorem eum faciat atque ut aggrediatur urbem hortetur. Itaque ille magis etiam quam antea vincendi spe elatus, ubi surrexit e lecto, primum principum exercitus consilium convocat, ut et de somnio illos edoceat et quod ceperit exercitus antequam in aciem educat tentandi consilium iis aperiat. Comprobant illi verba faciente pro ceteris Nestore summi ducis consilium iamque in contione populi simulata oratione Agamemnon fugam exercitui suadet.

3) De qua re cum satis iam videar mihi libello not. 1. commemorato exposuisse, non libet rursus hic dicere. Consulat illum libellum qui de iis, quae hac altera disputationis parte dicturus sum, recte iudicare cupiet.

4) Il. carmina XVI, praef. p. IV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Verum aliter res evenit atque exspectavit, populus enim, quem speraverat, quam esset turpe illud fugae consilium, sentientem nova accensum iri cupiditate pugnandi, serio eum loqui arbitratur ac relicta statim contione ad naves currit, in mare eas demissurus et ad reditum omnia paraturus. Iunonem ipsam intervenire necesse est, ne turpiter patriam repetant ac tum demum, cum illius iussu Minerva Ulixem impellit, ut in contionem fugientes reducat, tumultus sedatur et contionandi denuo ducibus potestas datur. Unus etiamtum repugnat Thersites summi ducis voluntati et acerbissime in eum invectus populo, ut perseveret in consilio fugae, persuadere conatur, sed frustra; castigat enim audaciam eius non solum verbis gravissimis sed etiam verberibus Ulixes. Iam vero cum longiore oratione et Ulixes et Nestor animos militum confirmassent, meminisse eos iubentes et iurisiurandi quondam Agamemnoni dati et ostentorum, quibus dii ipsis Troiam proficiscentibus faustum expeditionis eventum praedixissent, tantum subito in omnibus excitatur studium pugnandi, ut alteram Agamemnonis orationem, qua et gratias agit Nestori ob ea, quae dixerat, et ad pugnam se parare exercitum iubet, laeto clamore excipiant. Itaque postquam bovem Iovi duces mactaverunt cenaque et ipsi et exercitus se recreaverunt, instruitur acies.

Haec fere summa est eorum, quae his versibus narrantur, consentiuntque in eo et qui unum esse auctorem Iliadis sibi persuaserunt et qui ceteris in rebus longe ab illorum de origine horum carminum opinione dissentit, Lachmannus, duorum carminum, ex quibus contaminati sint hi versus, vestigia nulla apparere, sed ita fere ut nunc narretur, ab initio hanc πεῖραν exercitus a poeta narratam esse.[5])

5) Quod cum dico, non me fugit, Lachmannum nusquam, quantum scio, quae sua esset de duobus his Koechlyi carminibus sententia, pronuntiasse, ut suspicari possis, fortasse et ipsum postea Koechlyo assensum suam mutasse sententiam; falli tamen si quis haec suspicetur, pro certo scio. Ab unitariis his potissimum ille dissentit, quod contineri his versibus carmen singulare, non cohaerens illud cum primo libro, opinatur quodque versus non paucos carminis contendit non ab ipso eius auctore profectos, sed postea ab interpolatoribus additos esse. In eorum gratiam, quibus Lachmanni liber (Betrachtungen über Homers Ilias Berlin 1847) ad manum non est, addo, versus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Videamus igitur, quae sint argumenta, quibus permotus impugnandam esse hanc opinionem atque carmina hic nos habere duo „hodie in vanam vastamque unius carminis speciem contaminata“[6]) statuerit Koechlyus.

Ac de primis quidem quinquaginta duobus versibus carminis non opus est dicere, quippe in quibus omnia bene decurrere neque quidquam inesse, quod vituperes, ipse Koechlyus concedat[7]); offendit in iis demum versibus, quibus principum consilium narratur (v. 53—86). Id enim, cum sine dubio tribui ipsi huius carminis auctori nullo modo possit, tamen carmini, quale nunc sit, adeo dicit esse necessarium, ut vel propterea dubitari non possit, quin carmen ita, ut sit traditum, ferri nullo modo possit. Nolo equidem defensionem suscipere versuum, quos spurios esse gravissimis argumentis comprobaverunt et Lachmannus atque Hauptius et ipse in ea disputatione, quam saepius iam commemoravi[8]), Koechlyus. Ita enim inepti sunt hi versus, ita non congruunt cum iis, quae sequuntur, ut si omnes horum similes essent illi versus, quos plurimos ab interpolatoribus genuinis Iliadis versibus additos putamus, sperare liceret futurum, ut tota illa de Homericorum carminum origine quaestio agitari aliquando desineret[9]). Itaque si ita se res haberet et esset, ut ait Koechlyus, „totius libri, qualis quidem nunc fertur, arx quasi ille locus,“ ab omni profecto conatu defendendae traditae huius libri compositionis equidem desisterem.

At vereor, ne nimis cupide vir acutissimus hanc Naegelsbachii et Baeumleinii, quorum ea de re disputationes inspicere iubemur, sententiam amplexus sit. Quibus viris tantum abest ut hoc concedendum putem, ut facile careri posse toto hoc principum consilio iure mihi videar affirmare.

---

ex quibus compositum esse carmen ille statuat, hos esse: 1—52, 87—142, 147—163, 165—193, 198—202, 207—238, 243—253, 257—264, 333—458 (vel 257—277, 336—458, cf. notam 25), 469—473, 480—483.

6) Iliadis carm. XVI, praef. p. VII.

7) De Iliadis *B*, 1—483 disput. p. 5.

8) Cf. p. 5-10.

9) Cf. nunc etiam W. C. Kayserum in Philologi tom. XVIII, p. 701.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quid enim? Lachmannum secuti statuimus, Agamemnonem, cum somnio ab Iove misso nova incensus esset spe victoriae, statim ad contionem populum convocasse et simulata oratione ad fugam eum hortatum esse ita, ut ne principes quidem de hoc suo consilio antea edoceret. Orationis contrarius est eventus, atque speraverat, neque enim populus solum fugit, sed etiam principes, neque quisquam regum prius impedire fugam conatur, quam missa a Iunone Minerva Ulixem, ut reducat fugientes, hortatur, quo facto restituitur contio. Num quidquam inest in his, cur consilium illud principum desideremus, cur minus apte omisso eo decurrere res dicamus? Profecto nec in eo offendendum esse Naegelsbachio[10]) concedemus, quod initio principes et ipsi sic, quid sibi velit oratione sua Agamemnon, nesciant — quasi vero cum tentari Graecos faceret poeta a summo duce, id ita tantum facere potuerit, ut principes eximerentur —, nec in eo, quod iidem etiam, cum fugiat populus, dubitare sic possint, donec a Minerva doceantur, utrum redire in contionem illos iubeant an et ipsi fugiant. Ad rem hic quoque parum referre mihi videtur, utrum hoc an illo modo narraverit haec poeta neque equidem intellego, cur venustior multo illa ratio a Naegelsbachio dicatur.

Itaque necessario a poeta addendum fuisse principum consilium his certe argumentis non persuasit mihi Naegelsbachius, hoc unum ei dandum videtur, obscuritatem quandam narrationis vitio dari poetae posse. Nam Agamemnonem, quem ea cogitantem, quae v. 37 indicantur:

φῆ γὰρ ὅ γ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ, suspicamur omnes

10) Anmerk. zur Ilias, 3. Aufl. p. 228: „Jene Prüfung konnte gar nicht angestellt werden, wenn die Fürsten nicht darum wussten. Diese würden ja nicht wissen, wie sie Agamemnons verstellte Rede (110—141) zu nehmen hätten, würden, nachdem die Prüfung misslungen ist, nicht wissen, ob sie die Begeisterung des Volks für die Heimkehr unterdrücken oder nähren sollten, würden erst die Belehrung der einschreitenden Göttin bedürfen, ein höchst störendes, ästhetisch unerträgliches Hemmniss der raschen Entwickelung der Ereignisse, während jetzt die Göttin den Odysseus, der alle Fürsten repräsentirt, nur anzufeuern braucht, das wirklich zu thun, was ihnen schon geheissen war, und was Odysseus bis jetzt unterlassen hat, weil er vom Ungestüm des für die Heimkehr begeisterten Volks momentan überwältigt ist."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad pugnam continuo animos militum excitaturum, cum subito fugam suadentem inducat, videtur monere certe antea de hoc illius consilio debuisse eos, quibus haec canebat.

Verum si quis inde colligat, locum illum, quo solo tentare velle exercitum ducem iam antea docemur, non potuisse omitti, etiam is vereor ne fallatur.

Nolo hic afferre, quod bene iam perspexit Lachmannus, omnino non esse multorum verborum huius carminis auctorem, quippe qui tacens de consiliis eorum, quos inducat, satis saepe habeat ipsas res narrasse[11]), quamquam eiusmodi sine dubio sunt etiam ea, quae initio carminis narrantur, cum Iupiter de infausto exitu, quem pugna, ad quam excitat Achivos, sit habitura, nihil omnino dicat. At enim iure hic respondeat aliquis non eandem tamen esse rationem illius atque huius loci; illic, quod de infausto pugnae exitu nihil dicat Iupiter, id cum ipse iam poeta versu 3 sq. (*ὡς Ἀχιλῆα τιμήσειε; ὀλέσαι δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν*) verum dei consilium indicaverit, satis excusari, hic contra, quod Agamemnoni idem tribuat orationem plane contrariam atque exspectes, neque ea de re ne verbo quidem nos edoceat, id esse non ferendum, quia obscuritas ita oriatur narrationis molestissima.

Concedo, aliter hic, aliter illo loco rem se habere, ipsam illam obscuritatem tamen ne hoc quidem loco ullam esse dico idque concessurum mihi confido, quicumque quae sit natura omnis huius epicae poësis, secum reputaverit. Aequalibus enim suis, non nobis cecinit poeta iisque ut cetera, quae de Troia a Graecis oppugnata memoriae erant prodita, ita etiam haec de tentato ab Agamemnone exercitu iam inde a pueris nota fuisse num negabimus?[12]) Itaque finge poetam, priusquam initium faceret

---

11) Betrachtungen p. 9: „Die Darstellung hat etwas besonders Alterthümliches, indem das Innerliche, die Gedanken und Absichten verschwiegen werden und der Erfolg plötzlich hervortritt.“

12) Tota Iliade haud scio an nullus exstet locus, qui melius quam libri sexti v. 234 ostendat, cani ab his poëtis non fabulas ab ipsis inventas, sed eas, quae ante illos multorum iam carminibus celebrata essent. Ubi cum Glaucum commutantem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

canendi, significasse, ut verisimile est, iis, qui erant eum audituri, cantaturum se πεῖραν Agamemnonis, num mirum cuiquam esse potuit, quod fugam suadentem induxit illum neque ea de re quidquam praefandum sibi esse existimavit, num desiderasse quemquam principum consilium putabimus, ut, quid sibi vellet oratio illa, intellegeret? Et quemadmodum sic omnis illa obscuritas hoc loco tollitur, ita ne in iis quidem, quae sequuntur, quidquam inest, quod non possit facile eodem modo explicari.

Quae cum ita sint, huic quidem argumento, quod e consilio principum petivit Koechlyus, tribuere multum non possum, certe arcem his versibus contineri totius carminis, quale nunc est, iure mihi videor negare posse. Missis igitur his ad aliud accedo argumentum, quo usus est ille ad confirmandam eam, quam de origine huius carminis habet, opinionem.

Omnino enim totum hunc tentandi conatum dicit tam absurdum esse, tam repugnare condicioni exercitus qualis illo tempore fuerit, ut non possit tribui poetae, qui quidem vel mediocriter sapiat.

Quod quibus rationibus evincere studuerit vir acutissimus, eo magis praetermittere mihi posse videor, quod miram esse totam hanc πεῖραν ipse nec nego, et magnam partem probo, quae contra eos, qui defendere eam conati sunt, Baeumleinium (Zeitschr. für die Alterthumswissensch. 1848, p. 331), Naegelsbachium (l. l.), Hoffmannum (in Philologi tom. III, p. 200 sq.)[13]) ab illo prolata sunt.

Non nego, nec eorum, quae primo libro narrantur, nec ipsius huius libri eam esse rationem, ut satis appareat, cur ad tam insolitam artem confugere debuerit Agamemnon. Ferri id quidem posset, si aut ipsum summum ducem propter Achillis ab exercitu discessum timidum iam atque

---

arma sua aurea cum aheneis Diomedis vituperet carminis auctor eumque occaecatum ab Jove id facere dicat, profecto longe aberravit ab eius mente, qui primus haec excogitavit.

13) Taceo de iis, quae in eandem sententiam postea exposuerunt alii, velut Kienius in libro: die Composition der Ilias p. 302, cui addendus est Nutzhornius: die Entstehungsweise der homer. Gedichte, p. 203. Novi enim fere nihil afferunt, quod quidem ad rem, de qua loquimur, pertineat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

essetne sibi ad pugnam hortanti obtemperaturus exercitus dubitantem finxisset poëta, aut militum certe animos indicasset demissos iam eadem re ac fractos fuisse. At nec de Agamemnonis tali affectione animi, nec de militum timidis animis quidquam usquam legimus. Neque melius res successit Naegelsbachio, cum poetae certe necessariam hanc πεῖραν fuisse diceret, qui non posset alio modo narrare ea, quae de exercitus principumque animis ex Thersitae, Ulixis, Nestoris orationibus intellegeremus. Cui quid respondendum sit, ipsius liceat Koechlyi verbis ascribere, qui omnes illas res orationesque aeque bene dicit inferri potuisse contioni, si Agamemnoni ad pugnam exhortanti Thersites obloqueretur.

Quae cum ita sint, qui defendere traditam huius libri compositionem conabitur, ei alia defensionis ratio viaque quaerenda erit, atque quam illi ingressi sunt. Et offert se talis ratio, qua hoc certe intellegemus, licet mirus sit hic tentandi conatus, non tamen inde effici, ut totam hanc πεῖραν removendam esse ex hoc carmine statuamus.

Non de ea ego ratione hic loquor, quam secutus est Grotius et qui inter nostrates defensor exstitit illius Friedlaenderus, qui quamquam inventum illud ineptissimum esse affirmant[14]), tamen cur non possit iam ipsi huius carminis auctori tribui, causam esse negant. Aditum enim ita illum ad ea quae sequuntur parare sibi voluisse similiter atque Naegelsbachius existimant, sed parasse satis inepte. Non probo hanc rationem, cum nimis severum ita de poeta iudicium fieri existimem. Qui si vituperandus est, non ita tamen est vituperandus, quasi data optione, utrum hoc an illo modo narrare rem vellet, maluerit fugam oratione simulata suadere Agamemnonem, quam, id quod erat multo aptius, nulla arte adhibita pugnam ipsam proponere.

---

14) Confer Fischeri librum, quo selectae quaedam Grotiani libri partes in nostrum sermonem convertit, tom II, p. 175: das launenhafte Spiel, welches Agamemnon mit der Stimmung seines Heeres treibt, obwohl an sich kindisch etc. Neque aliter Friedlaenderus, die homer. Kritik von Wolf bis Grote p. 64: Um diese glänzende Scene seinem Gedichte einfügen zu können, erlaubte sich der Dichter den Agamemnon jene unerklärliche Thorheit begehen zu lassen etc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Apertius dicam, quid velim. Videntur mihi obliti esse illi etiam hic, quae esset natura huius epicae poesis. Quam si eam esse putamus — neque id negaturum quemquam existimo — ut res ipsas, quae essent fabulis illis pervulgatis traditae, non potuerint poetae illi suo arbitrio mutare, sed ita fere narrare debuerint, ut multa fortasse iam per saecula narrari solebant, quis audeat affirmare, πεῖραν quaeque cum ea cohaereant, inventum esse ipsius, de quo agimus, poetae?

Quodsi Achillis cum Agamemnone rixam, qualis primo, Paridis cum Menelao pugnam singularem, qualis tertio Iliadis libro narratur, cetera omnia, quae quidem alicuius sunt momenti, non ipsi excogitaverunt poetae, quorum carmina legimus, si canentes fabulas omnibus notas in iis quidem, quae leviora essent, varie exornandis ingenium exercuerunt, res ipsas non mutaverunt, nonne veri simile est, etiam de hac tentatione exercitus idem valere poetamque etiam in ea enarranda secutum esse, quae iamdudum ea de re in omnium essent ore?

Neque vero videtur opus esse, pluribus, quid intersit inter hanc meam et illam quam modo commemoravi opinionem exponere. Qui illam sequitur, is poetam ipsum, ut aditum sibi pararet ad ea quae sequuntur, elegisse eam rationem statuit, qua aptiorem facile excogitare potuerit, qui nostram, is illud quidem non negabit, miram esse hanc πεῖραν neque satis, quo consilio sit facta, perspici iis, quae de Graecorum illo tempore condicione legamus, ipsum tamen poetam, cuius est hoc carmen, non potuisse aliam inire rationem sentiet.

At nihil aliud ita videbimur profecisse, nisi ut sublata una difficultate oriatur altera. Poetae intellegimus ne licuisse quidem inducere diserte ad pugnam provocantem Agamemnonem, quippe quem omnes tentasse tunc exercitum scirent, transferenda autem culpa, qua illum liberavimus, in ipsam fabulam videtur vel in eos, qui primi eam finxerunt, nec quid tandem eos permoverit, ut tam inepto facerent artificio Agamemnonem utentem, magis apparet quam antea.

Audio, sed fac, qui primus haec finxerit, eum addidisse omnia ea, quae iure in hoc carmine desiderantur, eum induxisse imperatorem ne

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

essent propter Achillis ab exercitu discessum militum fracti animi metuentem et ob eam causam confugientem ad artificium, quod aliter explicari omnino nequit, num in hoc narrandi genus eadem cadere putamus, quae vitio dari posse carminis de quo nos agimus auctori minime nego? Nam quod puerile aliquid inesse etiam sic in hoc tentandi conatu profitentur, ei rei multum tribuere non possum. Porro autem num mirum, si longinquitate temporis haec oblitterata sunt, remansit ipsa fama, tentatos esse post Achillis ab exercitu discessum ab Agamemnone Achivos eumque tentandi conatum tam male cessisse, ut vix possent a ducibus fugientes in contionem reduci, si ignorat haec omnia poeta, cuius in Iliade carmen servatum nobis est? Ne hoc quidem quemquam miraturum puto, immo fieri non potuisse apparet, quin multa sensim obscurarentur in his fabulis et in oblivionem adducerentur. Nec desunt certissima eius rei testimonia, nam si licet cum hac Graecorum poesi comparare epicam, quae medio quod dicunt aevo apud nos floruit, poesim, in nostrum quoque de Nibelungis carmen idem cadit. In quo cum singulari fortunae beneficio acciderit, ut comparatis Eddae carminibus, quaenam antiquior fuerit fabulae forma, intellegere possimus, plurima iam aliter longe atque olim narrata fuerint narrari quis est qui nesciat?[15])

Itaque si hoc statuimus, cur primum huius fabulae auctorem vituperemus, nulla iam est causa, at ne ei quidem poetae, cui hanc, quae ad nos pervenit, narrationem debemus, iure, quod ita, ut fecit, rem narraverit, crimini dare licebit, illud certe negabimus peccasse eum, quod consulto quae necessaria essent ad intellegendum carmen tacuerit. Neque enim, ut volunt Naegelsbachius, Hoffmannus, ceteri qui illos sequuntur, quamquam causam tentandi fuisse Agamemnoni etiam ille militum propter discessum Achillis timiditatem statuebat, id nos celavit, sed satis habuit ipsam rem

15) Lachmanni verba libet ascribere (Anmerkungen zu den Nibelungen und zur Klage p. 336): Im Gegentheil wird unbefangene, treufolgende Betrachtung des Gangs einer Sage, die wirklich einen Inhalt hat, allemal lehren, dass der erste Gedanke sich bald ganz verliert, dass aber der Stoff, minder flüchtig und doch leicht vermehrt oder geschmälert, im Verlauf der Zeit unter andere und wieder andere Einheiten des Gedankens versammelt wird.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

narrare, quid impulerit ad eam Agamemnonem minime ille quidem curans. Id autem in simplici hac poesi non est, quod miremur, eoque minus offendit, quod est in carmine singulari, cuius poetam in id unum intentum, quod canebat, ceterarum habere rerum rationem minime necesse esset. Nam eum quidem poetam, qualem fingunt unitarii, qui carmen vellet condere, quo, quaecumque inde ab Achillis cum Agamemnone rixa usque ad Hectoris mortem gesta essent, comprehenderet, aliter ea in re versari debuisse concedo. Quom ita non debuit fugere, minime haec congruere cum iis, quae priore libro narravisset, ut, si oblitterata erat memoria causarum, quibus impulsus tentandi cepisset consilium Agamemnon, excogitare ipsum necesse esset, quibus id explicaret.

Substructo igitur ei, quae sequitur, disputationis parti tamquam fundamento ad orationem Agamemnonis me converto, quae vv. 110—141 legitur, quam constat ita iam a veteribus grammaticis esse explicatam, ut *μῦθον* ea *κερδαλέον* contineri statuerent i. e. Agamemnonem, quamquam fugam suaderet, verbis tamen ea in re uti existimarent ad manendum potius hortantibus.[16])

Ex argumentis, quibus refellere hanc opinionem conatus est Koechlyus, cum totam potius orationem, qualis nunc esset, absurde compositam esse contenderet, duo mihi videor silentio praeterire posse, alterum petitum inde, quod nusquam eam orationem tentantis esse indicetur, propterea, quia quid sit ea de re iudicandum ex iis, quae supra dixi, satis intellegi posse confido, alterum petitum inde, quod prorsus etiam contrarius sit eventus, quam quem habere debeat tale artificium (disp. de. Il. *B*. 1—483, p. 14), quia ea de re iam in priore huius disputationis parte p. 9 sq. exposui.[17])

---

16) Confer quae dicit ea de re Naegelsbachius (Anmerk. zur Ilias, 3. Aufl. p. 239 sq. Comparanda etiam sunt, quae de simili Clearchi oratione adnotavit Kruegerus ad Xenophontis Anab. I, 3. 9: Man bemerke die Kunst, mit der, wie absichtslos auf eine versteckte Weise und doch handgreiflich die Schwierigkeiten der Rückkehr auseinander gesetzt werden, um von ihr abzuschrecken.

17) Etiam is, qui nuperrime de his versibus disputavit, assentiens et ipse Koechlyi de iis doctrinae, Kernius (die beiden Erzählungen im 2. Buch der Ilias, Ulm 1868,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ac ne tertio quidem argumento petito a libro nono, ubi magna pars horum versuum (I 18—28 = *B* 111—118. 139—141) iterum in oratione Agamemnonis serio fugam suadentis legitur, ut videatur etiam haec serio dicere imperator, multum ego tribuo. Satis enim inficete hunc *μῦθον κερδαλέον* composuisset huius carminis auctor, si ita hi versus essent comparati, ut non possent revocari et usurpari etiam ab eo, qui serio Agamemnonem fugam suadere vellet.

Quae cum ita sint, id unum restat, quod ipsa quoque verba orationis negavit ea esse Koechlyus, quae orationi ducis simulate fugam suadentis ullo modo convenirent, apparere enim partim serio illis fugere milites iuberi, partim dici illa ab eo, qui diserte ad pugnam provocaret (Disput. p. 12—14).

Quod quo iure dixerit iam videamus ita, ut primum omissis iis versibus, quos tribuendos esse orationi ad pugnam hortantis contendit, de ceteris (110—115 et 134—141) dicamus. Atque de illis quidem versibus, unde orditur imperator, non est quod multa dicamus. Cum ab Jove deceptum se queratur, qui quod sibi promiserit, capta Troia urbe domum Graecos reversuros, praestare iam nolit (v. 110—115), id cur ab oratione, qualem nos eam esse statuimus, alienum sit, difficile est intellectu, immo vel maxime haec, licet obloquatur Koechlyus, conveniunt orationi, qua cum fugam suadere videretur, tamen id potius agebat Agamemnon, ut de turpitudine ipsius eius fugae commonefaceret milites. In hac certe re verum vidisse videntur iam scholiorum auctores, in quibus ad v. 112 adnotata haec invenimus: *προτρεπτικὸν τοῦτο πρὸς τὸ μένειν τοὺς Ἀχαιούς. οὐ γὰρ ἀτελεύτητον, ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσῃ*, itemque ad v. 115: *τοῦτο δὲ εἶπεν οἰόμενος, ὡς οὐ πείσονται οἱ Ἕλληνες δυσκλεῖς ὑποστρέψαι.* Si enim voluit inserere orationi suae Agamemnon ea, quibus deterreret a re, quam suadere videbatur — id autem est omnium eiusmodi orationum consilium —, quid potuit aliud proferre, nisi haec, promissum Iovis, quod non putandum esset illum non servaturum, et turpitudinem fugae, quae summo Graecis dedecori futura esset?

---

p. 3) concedit, quod fugiant Graeci audita Agamemnonis oratione, id esse quod mireris (?), sed *potuisse tamen id effici illa oratione.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Neque magis in ea, quae in extrema oratione (v. 134—141) legimus, cadere mihi videntur, quae vituperavit Koechlyus, cum haec quoque nisi ab eo, qui serio fugam suaderet, dici potuisse negaret, nisi forte ex ea re, quod uxores quoque ac liberi domi relicti commemorantur, fugam serio suadere voluisse Agamemnonem colligendum esse putamus. At leviter tantum eam rem attingere oratorem apparet, cum summa orationis etiam hic versetur in eo, quam turpe sit, decimum iam annum obsideri a se Troiam neque capi etiamtum potuisse.

Missis igitur his ad eos transeamus versus, quos ex oratione, qua ad pugnam diserte provocaretur, depromptos esse et eius modi orationi soli convenire docemur. Atque etiam de his iniuria dubitatum esse demonstrare mihi posse videor, dummodo tres versus (116—118) ex iis eximamus eosque interpolatori alicui tribuendos esse statuamus. Quibus versibus inepte Iovis eversoris urbium mentionem fieri non nego minimeque eam sequor rationem, qua defendere eos conati sunt et veteres grammatici et recentiores, cum ipsa illa Iovis eversoris mentione Agamemnonem *ὑπόνοιαν διδόναι καὶ περὶ Ἰλίου* (scholl. ad v. 117) contenderent. At enim ut non conveniunt orationi qualis tradita est, ita iidem ne in ea quidem, cui tribuuntur a Koechlyo, oratione ferri possunt. Quod cum iam in priore disputationis parte (p. 8) demonstrasse mihi videar, nunc tantum dicere satis habeo, omnino eos ut spurios eiiciendos esse, neque hoc solum loco, sed etiam, ubi iterum leguntur, I 23—25, eoque confidentius hoc dico, quia etiam Bekkerum video, cum in editione Iliadis, quae Bonnae 1858 prodiit, posteriore tantum loco versus eiecisset, nunc ne altero quidem loco eos retinuisse.[18])

Iam si ad eos qui restant versus (v. 119—133) nos convertimus,

---

18) Confer Homerische Blätter, Bonn 1863, p. 275, not. 20. Eadem etiam fuit Nitzschii opinio, Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griechen p. 371, not. 82: „Die 3 Verse, I, 23—25 sind als aus *B* 116—118 wiederholt nach den alexandr. Kritikern hier unecht und sie dürften, wenn erst später von dort nach dem Anklang hier eingefügt, doch auch dort und überhaupt unnütz sein.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

alia horum est ratio, si Aristarchum secuti ultimos quatuor versus (130—133) ut spurios eiiciendos esse statuimus, alia, si retinemus.[19]) Sed ut verum viderit Aristarchus, cum versus hos eiiceret, ne sic quidem inesse quidquam in hac orationis parte existimo, quod non cum consilio Agamemnonis, quale nobis id visum est, bene congruat. De infamia loquitur ille, quam sint subituri Achivi cedentes Troianis, quos longe a se superari numero non ignorent. Quid ergo? dolorem animi, quo opprimeretur propter turpitudinem eius rei nonne prae se ferre potuit etiam is, qui tamen infamiam illam effugere se non posse sibi persuasisset? Causam equidem, cur hoc negemus, nullam invenio, immo haec mihi videtur eius, de qua agimus, infamiae esse ratio, ut aptissime potuerit quidem iniici de ea mentio in oratione ducis diserte ad pugnam provocantis, neque tamen minus apte iniici etiam in tali oratione, qualem hic habemus, praesertim cum simulate fugam suadeat Agamemnon atque ob id ipsum ne hoc quidem offendat, quod verbosissimus est in describenda hac infamia.

Comparare licebit, ut magis etiam, quo iure id dicam, appareat, quae in eadem hac Agamemnonis oratione v. 111 sq. legimus. Ibi quoque infamiam aliquam commemorat imperator, quam evitare nequeat exercitus, futurum enim iam esse queritur, ut frustra videantur fortissimi illi viri ad Troiae moenia mortem obiisse, qui plurimi inde ab initio belli ceciderint idque ipsum sit summo Graecis dedecori (v. 115 *δυσκλέα Ἄργος ἱκέσθαι,*

19) Aristarchum eiecisse hos versus constat, quia quae ibi narrantur de numero sociorum, non congruunt cum iis, quae aliis locis ea de re legimus, *ὅτι καθόλου πάντας τοὺς βαρβάρους σὺν τοῖς ἐπικούροις ἥσσονας τῶν Ἑλλήνων διὰ παντός φησιν εἶναι.* Confer, qui plura ea de re exposuit, Naegelsbachium p. 240. Haud scio tamen an hoc, quod recte observavit grammaticus acutissimus, ad id quod inde colligit probandum non sufficiat. Certum quidem mihi est, non posse ita haec explicari, ut videtur explicare l. l. Naegelsbachius, quasi Agamemnon dicat aliquid, quod falsum esse ipsum minime fugiat, et eo quidem consilio dicat, ut tanto facilius exercitus tentantem se loqui intellegat, verum, ut multa diverso modo diversis Iliadis locis narrantur, ita etiam huius loci ea poterit esse ratio, ut alia fuerit de numero Troianorum ac sociorum huius carminis auctoris opinio, atque quae est reliquorum carminum. Certe quae praeterea ad confirmandam Aristarchi opinionem attulit Koechlyus, ea tanti non facio, ut propterea reiiciendos esse hos versus existimem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἐπεὶ πολὺν ὤλεσα λαόν.) Ne haec quidem dubium est quin aptissimam praebitura fuerint materiam ei, qui fervida oratione ad pugnam accendere militum animos cuperet, nemo, opinor, vituperaret, si in hunc fere modum dicens in eiusmodi oratione induceretur imperator: Cur nunc, postquam plurimi nostrum in bello interfecti sunt, subito desperatis de prospero belli exitu ac tantam contrahere mihi, duci vestro, infamiam vultis, nam infamia profecto est δυσκλέα Ἄργος ἱκέσθαι et quae sequuntur? Verum enim vero num male propterea rem egisse poetam dicemus, quod commemoraverit eadem haec in oratione, qua fugam suadeat? num dicemus ne haec quidem ei orationi convenire, sed deprompta esse ex oratione ad pugnam aperte excitantis milites? Ne Koechlyi quidem ipsius ea est opinio, ut supra (p. 12) vidimus, sed eo tantum a nobis dissentit, quod omni haec simulatione carere et eius esse, qui serio fugere exercitum iuberet, sibi persuasit. Atqui eandem esse illorum verborum rationem atque horum, de quibus nunc loquimur, quis est qui neget?

Quare, quoniam demonstravi, ne in hac quidem oratione quidquam inesse, quo iniquo, quod fecit de ea Koechlyus, iudicio assentiri cogeremur[20]), ad ea quae sequuntur venio.

Atque de iis quidem, quae usque ad Thersitae orationem (v. 225 sq.) narrantur, brevi mihi esse licebit. Observavit etiam de his multa acutissime l. l. (p. 15—18) Koechlyus, at quae disputat, non eo maximam partem spectant, ut nostram, sed ut unitariorum de hoc carmine opinionem refellant. Eius modi sunt quae dicit defendens Lachmannum, qui miram prorsus esse principum inertiam docuerat, siquidem eos edoctos fuisse de vero ducis consilio iam in conventu illo, qui v. 53 sq. commemoratur, statueremus, nec minus cetera, quae de vv. 143, 144—146, 194—197,

20) Nam qua praeterea difficultate laborare dicit hanc orationem (p. 13), cum inepte versus, de quibus postremo loco egimus, cum superioribus particula γάρ coniungantur, eam tolli omnino existimo deletis iis versibus, quos spurios esse demonstravimus (116—118), quo facto facillime iam referendam esse particulam γάρ ad δυσκλέα intellegimus. Quod enim praeterea monet, „non esse in illo membro δυσκλέα, sed Ἄργος ἱκέσθαι primariam sententiam, quae sequentibus explicetur, idque verbum finitum κελεύω postulare," ignorare me fateor leges grammaticas, quibus id evinci possit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

203—205 profert, cum novis argumentis id quod demonstravit iam Lachmannus, spurios eos esse, confirmet.

Quae ad nos pertineant, qui et consilium principum et versus hos eiicimus, duo tantum argumenta invenio, alterum quod perincommode, siquidem initium libri spectemus, Iove quiescente sola Iuno per Minervam hic interveniat, alterum, quod ὑπέρμορα illud, quod v. 155 legimus, satis inepte dicatur, si Agamemnon non serio, sed simulate fugam suaserit. Eorum autem neutrum magni momenti videtur esse. Potuisse poetam haec etiam ita narrare, ut in Iunonis locum Iovem ipsum substitueret ab eoque faceret impelli Ulixem, ut in contionem fugientes Achivos reduceret, nemo negabit, immo melius fortasse ita haec fuisse narraturum illum concedi potest. Neque enim Iunonis magis, quam ipsius summi dei interfuit, fuga Graecorum id quod efficere misso somnio voluerat ad irritum non redigi. Verum quod Iunoni dedit nihilominus eas partes poeta, ne id quidem sine causa factum videbitur, si reputaveris summum eius deae adversus Troianos odium, certe non eius modi est, ut liceat propterea de tota narratione dubitare. Multo autem minus etiam tribuendum videtur alteri argumento, quod a vocabulo ὑπέρμορα petitum est. Nam si fuit in fatis, ut deleretur Troia a Graecis, redire illos infecta re in patriam nullo modo potuisse, quin contra fatum id fieret, sive causa reditus fuerit oratio Agamemnonis, qua serio, sive ea, qua simulate fugere eos iuberet, quis est quin intellegat?

Cum iis, quae usque ad Thersitae orationem legimus, nusquam videantur suspiciones a Koechlyo motae confirmari, ubi ad ipsam hanc orationem pervenimus, in maiores incidimus difficultates.

Non eas dico difficultates, quibus laborare ipsa verba, quibus utitur Thersites, dicit vir doctissimus — minime enim appositam esse eius orationem, qui exprobrare potius Agamemnoni debuerit, quod modo ad fugiendum hortatus esset Graecos iamque per Ulixem eosdem retrahendos curaret[21]) — sed hanc, quod unde tandem scire potuerit Thersites, non

21) p. 19: „Immo hoc fere modo exordiri debebat: Agamemno, tu es mendacissimus et impudentissimus mortalium: modo enim ad fugiendum hortatus es, et nunc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

serio Agamemnonem locutum esse, non apparet. De illa enim re dubitare iure licebit ac mihi quidem aptissime etiam sic videtur verba facere homo ignavissimus, quippe qui non mendacium Agamemnonis, sed id ipsum, quod pugnare rursus iubeatur, aegre ferat, contra, quod scire eum, quae sit vera voluntas Agamemnonis, videmus neque tamen, unde ad eum pervenerit eius rei notitia, a poeta docemur, in eo dubitari non potest quin non parva insit difficultas. Quam frustra conatus est Naegelsbachius ita removere, ut universum exercitum de voluntate Agamemnonis edoctum esse affirmaret iis, quae v. 200 sq. militibus dicit Ulixes. His enim versibus nihil eiusmodi contineri, bene demonstravit Koechlyus. Immo quo doceri potuerint Achivi de vero Agamemnonis consilio nihil invenimus, nisi ea Ulixis verba, quae dicit, cum principes alloquitur (v. 192 sq.)

οὐ γάρ πω σάφα οἶσθ' οἷος νόος Ἀτρεΐωνος·
νῦν μὲν πειρᾶται, τάχα δ' ἵψεται υἷας Ἀχαιῶν.

Atque ne his quidem satis explicatur id, de quo agimus, nam principibus haec dicta sunt, non plebi, neque aliud quidquam iis continetur, nisi mera Ulixis suspicio, quam veram esse non prius videtur potuisse intellegi, quam Agamemnon quoque recte id illum suspicatum pronuntiasset.

Quocunque igitur nos convertimus, satis obscure haec narrata esse apparet nec unde cognoverit Thersites, Agamemnonem ipsum, non Ulixem ut novae pugnae auctorem accusandum esse, usquam a poeta indicari.

Sed nimirum idem, quod supra (p. 6 et 7) de epicorum poetarum condicione dixi, hic quoque valere mihi videtur obscuritatisque certe crimine vel sic liberandus esse poeta. Iis enim cecinit hoc carmen, qui cum audirent Agamemnonem fugam suadentem, ne momentum quidem temporis simulate id eum facere ignorarent, quibus minime id quidem mirum esse

---

tuo iussu parentes socios conviciis et verberibus per paratissimum fallaciarum machinatorem retrahendos curas. Ludibrio profecto habes filios Achivorum:

ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί,
ἦ γάρ ἂν Ἀτρεΐδῃ, νῦν ὕστατα λωβήσαιο."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

posset, quod Thersiten in eandem sententiam paulo post verba facere viderent. Quod si reputaverimus, non eo quidem defendentes poetam progrediemur, ut omni eum culpa liberemus, immo, ut planior fieret ac dilucidior oratio, addenda fuisse nonnulla concedemus, unde quo modo milites quoque ea de re edocti essent, appareret, at excusabimus tamen illum, quod satis vel iis, quae suspicantem fecit Ulixem, id indicasse sibi videbatur.

Quod cum dico, non me fugit, quid adversarii mihi responsuri sint. Dicent enim me quoque sequi hic illam de reticentia Homeri doctrinam, qua totiens interpretes poetae abusi sint, ut vel quae ferri plane non possent, defenderent. Verum si non hoc solum loco, sed aliis quoque ea est huius carminis ratio, ut quae suspicari possis accuratius fuisse enarranda, ea breviter tantummodo indicasse satis habeat eius auctor, vide ne tollere hanc obscuritatem quovis modo conantes poetam ipsum potius corrigamus, quam genuinam carminis formam restituamus.

Quod ut recte me pronuntiasse demonstrem, non licebit ea hic iterum commemorare, quae supra (p. 6) exposui, afferendus potius erit locus, ubi ne illa quidem via, quam ingressus est Koechlyus, substituendis in unius huius carminis locum duobus, effici ullo modo possit, ut eiusdem obscuritatis crimine liberetur poeta. Neque vero frustra talem locum quaeremus, percommode enim se offerunt verba, unde Nestorem v. 337 sq. ordientem orationem ille fecit:

ὦ πόποι, ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγοράασθε
νηπιάχοις, οἷς οὔτι μέλει πολεμήϊα ἔργα,

quibus verbis non minores moveri dubitationes, quam illa parte narrationis, de qua nunc agimus, demonstrasse me confido iis, quae in priore disputationis parte (p. 13—15) disputavi.

Quae cum nolim iterum hic uberius exponere, summam tamen eorum paucis liceat in memoriam revocare. Nam ne nunc quidem dubito, quin verba illa ita, quemadmodum vulgo intellegantur, ut vituperari iis Ulixem una cum Thersita a Nestore putemus, nullo modo possint intellegi, immo vituperentur hic Thersites aliique de plebe homines, qui et ipsi mutatam summi ducis mentem aegre tulerint idque verbis etiam de-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

clararint[22]). Quod si statuimus, non minor occurrit hic difficultas quam illic. Nam ubi locutos esse praeter Thersitam etiam alios diserte dixerit poeta, frustra hic quoque quaerimus. Uno tantum versu etiam hic satis obscure id indicavit, eo versu (v. 198), quo gravibus verbis castigari ab Ulixe plures de plebe homines, qui vociferati essent, legimus.

Neque quam v. 342 idem Nestor ac respondens eius orationi Agamemnon (v. 376) iniicit mentionem rixarum ac iurgiorum, quibus expugnare Troiam impediatur, cum tamen de uno Thersita ne his quidem locis videantur loqui, explicari aliter poterit, nisi ita, ut satis habuisse poetam existimemus voce *βοόωντα* versus 198 indicare, cum Thersita etiam alios, ubi veram regis voluntatem cognovissent, ei oblocutos esse[23]).

Hanc igitur difficultatem si demonstrari potest ne ita quidem removeri, si Koechlyi de his versibus opinionem sequamur, apparet, opinor, aut ne illo quidem loco tantum tribuendum esse huic argumento, aut ut simul haec quoque difficultas tollatur, progrediendum etiam ultra ea esse, quae ille statuit[24]). Atqui non removeri eam ita l. l. demonstravi, nam ne in eo quidem carmine, cui has orationes tribuit Koechlyus, quo orationem ducis ad pugnam diserte provocantis excipiunt continuo ea quae

22) Non solus ego iam ita de his versibus iudico, assensus est etiam Ameisius, qui ad v. 337 in editione Iliadis haec adnotat: „Ihr redet in der Versammlung gleich thörichten Knäblein; ein an die Gesammtheit der Griechen gerichteter Vorwurf, der sich aber nur auf die mit Thersites in der Heimatsehnsucht sympathisierenden bezieht, der ferner das von Odysseus 289 Gesagte steigert und jetzt zu Thaten auffordern will.“

23) Qui miratur, ad Thersitam me aliosque id genus homines referendos esse hos versus existimare, cum de Agamemnonis potius cum Achille rixa cogitandum hic esse ex versibus 377 et 378 appareat, eum conferre iubeo, quae in priore disputationis parte p. 15, not. 32 adnotavi, ubi recte hos versus Koechlyum eiecisse neque de Achille loqui hic aut Nestorem aut Agamemnonem potuisse ostendi.

24) Intellexit hoc etiam Kernius. Certe in eo libello, quem not. 17 commemoravi, non aliter verba, de quibus modo locuti sumus, intellegi posse dicit, nisi ita, ut carmini has orationes tribuendas esse statuamus, in quo facta antea sit principum deliberatio, non ea, quam v. 53 sq. habemus — eos enim versus subditicios et ipse existimat — sed talis, in qua rixantibus inter se et cum Agamemnone principibus Nestor tandem, qua fuerit eloquentia, effecerit, ut Agamemnoni illi morem gererent. (Confer § 3, 6: „wer epischen Sinnes ist, der muss hier auf den Gedanken kommen,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inde a v. 211 legimus, de pluribus, qui praeter Thersitam verba fecerint, quidquam dicitur, immo eiectis iis, quae de fuga Achivorum Ulixisque ea in re opera narrantur — haec enim ad alterum carmen pertinere statuit — vel unus ille locus (v. 198) tollitur, unde, quid haec sibi vellent, intellegi certe potuit.

Quae reliqua sunt, eorum magna pars ad eam rem, quam tractamus, nullius prorsus est momenti, velut quae Thersitae respondet Ulixes vv. 243—264, quae de Thersita verberibus ab eodem castigato adduntur vv. 265—277[25]), denique tota ea pars carminis, quae alteram Agamemnonis orationem sequitur (v. 354—483); neque enim inest in iis quidquam, quod non bene conveniat etiam carmini, quale nos hic habere nobis visi sumus.

Quae cum ita sint, id unum restat, ut de orationibus, quae hac parte carminis continentur atque de ea difficultate, qua eae quoque laborare Koechlyo visae sunt, pauca addamus. Constat tres esse, primam eiusdem rursus Ulixis (v. 284—332), alteram Nestoris (337—368), tertiam denique Agamemnonis (370—393). Atque de prima non opus esse videtur fusius hic dicere, eam enim ne eiectis quidem iis versibus, quos eiecit Koechlyus[26]), ferri omnino posse, sed totam potius auctore Lachmanno tollendam esse; in priore disputationis parte p. 12 sq. exposui.

Reliquae igitur sunt duae, altera Nestoris, qua restituta contione exercitus confirmare militum animos et ad pugnam eos hortari conatur, altera

---

dass diesen Worten eine ganz andere, für uns verlorene Scene vorausgieng, in welcher die Fürsten im Rath selbst untereinander und mit Agamemnon gestritten, Nestor aber mit seiner Rede siegender Gewalt Versöhnung und Unterwerfung unter Agamemnons Willen herbeigeführt hatte.“ Confer etiam § 4.) Vides, non iam carmen nos habere ex duobus, sed ex tribus carminibus contaminatum.

25) Constat, hanc Thersitae castigationem, quam et ipsam interpolatori deberi existimaverat Lachmannus (Betrachtungen über Homers Ilias p. 13) defensam esse a Curtio in Philologi tom. III, p. 16 sq., cui ego quoque assentior.

26) Tollendos omnino existimavit vv. 286—288, versus autem 299—330 ex oratione, quam habuerit Ulixes in altero eorum carminum, quae restituisse sibi visus est, in hanc irrepsisse statuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Agamemnonis, qua gratias agit illi atque ipse in hanc sententiam verba ad Achivos facit, neuter tamen ita hoc facit — id quod miratur Koechlyus[27]) — ut tentati ab Agamemnone exercitus ullam rationem habeat.

Videndum igitur erit, num in hac re offendere adeo liceat, ut desperandum esse de defendenda tradita huius carminis compositione concedamus.

Atque non ita ego hac de re iudico, quemadmodum iudicavit Naegelsbachius, ut vel inepte πείρας facturum fuisse mentionem utrumque ducem dicam propterea, quod ipse eius eventus docuisset, praepostere ea usum esse Agamemnonem[28]). Potuit sine dubio aptissime induci ita dicens uterque — ea de re nemo dubitabit, quicunque quae a Koechlyo in eam sententiam disputata sunt, perlegerit, — et haud scio an boni poetae officio vel melius sic functurus fuerit, quicumque est carminis auctor, verum sensu carere ne eam quidem rationem, quae ab illo praelata est, meo mihi iure videor affirmare, dummodo ne necessariam fuisse πείρας mentionem propterea mihi respondeant, quia edoceri ita tantum de vera tandem Agamemnonis voluntate potuerint milites.

De quo quid statuendum sit, ex iis apparebit quae, defendentes contra Koechlyum Thersitae orationem supra (p. 17 et 18) disputavimus. Cui non ferenda illo loco videbitur Thersitae oratio, quod, unde certior factus sit de vera summi ducis voluntate, nusquam appareat, is aegre etiam hic feret tentati exercitus nullam haberi rationem nec a Nestore nec ab Agamemnone, atque fuisse necessario de vero ducis consilio certe tunc edocendos milites contendet; qui contra eandem quam ego sequetur opinionem, is ita haec narrare poetam putabit, ut vel iis, quae v. 186 sq. leguntur, satis sibi videretur indicasse, ne militibus quidem, cum in contionem redissent, ignotam iam veram ducis voluntatem fuisse.

---

27) Disput. de Il. *B.* 1—483, p 20—22.

28) Anm. zur Ilias p. 444: „So trefflich diese verstellte Aufforderung vom Dichter erfunden ist, um dadurch dass er sie ernstlich genommen werden lässt, die Stimmung des Lagers zu veranschaulichen und die Scene mit Thersites herbeizuführen, so sehr hat sie sich für Agamemnon durch den Erfolg als eine verfehlte Maassregel erwiesen. Daher ist der Redner genöthigt von ihr zu schweigen.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quae si ita sunt, cur edocerentur hic illi quasi de re etiamtum ipsis ignota, causa certe nulla erat, id unum quaeritur, debuerintne vel sic in orationibus suis illam rem commemorare duces. Atque potuisse id eos facere, libenter concedo, debuisse non item. Cum enim is fuisset eventus huius *πείρας*, ut ea taedium belli, quo capti erant milites, non modo non tolleretur, sed augeretur, id unum maxime iam agendum erat ducibus, ut confirmarent rursus eorum animos, quod utrum ita facerent, ut de ipsa Agamemnonis in priore oratione adhortatione potissimum dicentes „pudorem tentaminis male sustentati in omnium animis excitare conarentur" (Koechlyus p. 20), an eo, quo fecerunt, modo, ad summam rei non multum interfuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf